Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ad Corinth

potestate. Esca uentri et uentri escis. Ds autem hoc et has
destruet. Corpus autem non fornicationi sed domino. et dns corpori. Ds quoque et dnm suscitauit. et nos suscitabit per uirtutem
suam. Nescitis quoniam corpora uestra membra sunt. Tollens ergo
membra xpi faciam membra meretricis. Absit. An nescitis quia
qui adheret meretrici unum corpus efficitur. Erunt inquit
duo in carne una. Qui autem adheret domino unus spiritus est. Fu
gite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo
extra corpus est. qui autem fornicatur in corpus suum peccat. An nes
citis quoniam membra uestra templum est spiritus sancti qui in uobis est quem habetis
a deo et non estis uestri. Empti enim estis pretio magno. glificate
et portate dm in corpore uro. De quibus autem scripsistis
mihi. bonum est homini mulierem non tangere. propter fornicationem
autem unusquisque suam uxorem habeat. et una quaque suum uirum
habeat. Vxori uir debitum reddat. similiter autem et uxor
uiro. Mulier sui corporis potestatem non habet sed uir. si
militer autem et uir sui corporis potestatem non habet sed mu
lier. Nolite fraudare inuicem nisi forte ex consensu ad tempus
ut uacetis orationi. et rursum reuertimini in idipsum ne
tempter uos satanas propter incontinentiam uestram.
Hoc autem dico secundum indulgentiam non secundum impium.
Volo autem omnes homines esse sicut meipsum. Sed unusquisque proprium habet donum ex deo. alius quidem sic alius autem sic.
Dico autem innuptis et uiduis. Bonum est illis si sic permaneant sicut ego. Quod si se non continent nubant. melius est enim nubere quam uri. His autem qui matrimonio iuncti sunt praecipio non ego sed dns. uxorem a uiro non discedere. quod si
discesserit manere innuptam aut uiro suo reconciliari. Et uir uxorem non dimittat. Cetis ergo dico
non dns. Si quis frater uxorem habet infidelem. et hanc consentit habitare cum illo non dimittat illam. Et si qua mulier habet uirum infidelem. et hic consentit habitare cum illa non dimittat uirum. Sanificatus enim uir
infidelis in muliere fideli. et sanificata est mulier